



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Cur Deus homo & mortuus. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

in eum credunt, à diabolo ante tenebantur. Vnde Qui pro multis effundetur. Per illam ergo redempti sumus in quo Princeps mundi nihil inuenit.

*Aug. in fine,
c. 31. eiusdem
lib. 3. de pec-
catorum me-
ritis.*

Vnde Aug. causam & modum nostræ redemptionis insinuās ait, Nihil inuenit diabolus in Christo vt moreretur: sed pro volūtate patris mori Christus voluit, non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia & iustitia mortem gustauit, per q̄ nos redemit à seruitute diaboli, incidit enim in principem huius seculi, qui seduxit Adam, & seruum fecit, cepitq; nos quasi vernaculos possidere, sed venit redemptor & victus est deceptor. Et quid fecit redemptor captiuatori nostro? Tendit ei mscipulam crucē suam: posuit ibi quasi escā sanguinē suam. Ille a. sanguinem suum fudit, non debitoris, per quod recessit debitoribus. Ille quippe ad hoc sanguinē suū fudit, vt peccata nostra deleret. Vnde ergo nos diabolus tenebat, delictum est sanguine redemptoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorū nostrorū: istę erant catenę captiuorum. Venit ille alligauit fortē vinculis passionis suę, intrauit in domum eius, i. in corda eorum, vbi ipse habitabat & vasa eius, sc. nos eripuit, q̄ illi impleuerat amaritudine sua. Deus a. noster vasa eius eripiēs & sua faciens, fudit amaritudinē, & impleuit dulcedine per mortem suam à peccatis redimens, & adoptionē glorię filiorum largiens.

*Matth 12. c
Marc. 3. d
Ad Rom. 8. d*

Cur Deus homo, & mortuus.

B

Factus ergo homo mortalis, vt moriēdo diabolū vinceret. Nisi enim homo esset, qui diabolū vinceret, nō iuste sed violenter homo ei tolli videretur, q̄ se illi spē subiecit. Sed si eū homo vicit, iure manifesto hominē perdidit, & vt homo vincat, necesse est vt Deus in eo sit, qui eum à peccatis immunē faciat. Si enim per se homo esset, vel angelus in homine, facile peccaret, cum vtrāq; naturā per se cōstet cecidisse. Ideo Dei filius hominem passibile sumpsit,

sumpsit, in quo & mortē gustavit, quo cœlū nobis aperuit, & à servitute diaboli, i. e. à peccato, servitus enim diaboli peccatum est, & à pœna redemit.

Quomodo & à qua pœna Christus nos redemit per mortem.

C

Aqua pœna? temporali, & æterna. Ab æterna qui dem, relaxando debitum. A tēporali verò penitus nos liberabit in futuro, quando novissima mors inimica destruetur. Adhuc n. expectamus redemptionem corporis, secundum animas verò iam redempti sumus ex parte, non ex toto, à culpa non à pœna, nec omnino à culpa. Non enim ab ea sic redempti sumus, vt non sit, sed vt non dominetur.

*Ad Cor. 15. d
Ad Rom. 6. 6*

Quomodo pœnam nostram portavit.

D

Peccata quoq; nostra, id est, pœnam peccatorum nostrorum dicitur in corpore suo super lignum portasse, quia per ipsius pœnam quam in cruce tulit, omnis pœna temporalis, quæ pro peccato conuersis debetur, in baptismo penitus relaxatur, vt nulla à baptizato exigatur, & in pœnitētia minoratur. Non enim sufficeret illa pœna, qua pœnitētes ligat Ecclesia, nisi pœna Christi cooperaretur, qui pro nobis soluit. Vnde peccata iustorum, qui fuerunt ante aduentum, in sustentatione Dei fuisse vsque ad Christi mortem, dicit Apostolus, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore. Ecce aperte expositum est, quomodo, & quid Christus per mortem nobis meruit & impetrauit.

Petri 2. d

Rom. 3. d

Si solus Christus debet dici redemptor, vt solus dicitur mediator.

E

Vnde ipse verè dicitur mundi redemptor, & Dei hominumq; mediator. Sed mediator in scriptura dicitur solus filius: Redemptor verò aliquādo etiam Pater vel Spir. S. Sed hoc propter vsum potestatis, non propter exhibitionē humilitatis & obediētiae. Nam secundū potestatis simul & obediētiae vsum, filius propriè dicitur redemptor: quia in se

1. Tim. 2. 6